

tum et natura hujus iudicii, in Clem. *Sæpe contingit. de Verbor. signif.* exacte descripti : tum ex l. *Post rem ff. de Re judicat.* et l. un. c. *de Confessis*, ubi dicitur : « Confessos in jure pro iudicatis haberi placet : » cum concordantiis.

76. *Solvuntur rationes dubitandi. Nullæ sunt partes judicantis in confitentibus : quomodo intelligendum?* — Ad rationes dubitandi n. 71. allatas, et imprimis ad textus illos, in quibus confessi pro iudicatis habentur. Resp. eos procedere partim loquendo de iudicio summario, partim de confessione ante litis contestationem facta, ut sic jura iuribus concordentur, juxta Glossam proxime allegatam. Ad alterum respondetur dictum illud, « Nullæ sunt partes judicantis in confitentibus, » procedere solum, quantum ad examinationem causæ, seu ulteriorem ejus probationem : non vero, quantum ad prolationem sententiæ, Etsi enim, supposita rei confessione, non amplius debeat iudex in civilibus investigare de veritate causæ; puta, utrum damnum fuerit datum, nec ne, (de hoc enim constat ex propria confessione rei) tenetur nihilominus juxta hanc confessionem ferre sententiam, reum condemnando, damnique quantitatem æstimando; saltem, quando iudicium fuit solemniter inchoatum, ut sic solemniter finiatur per sententiam. Unde Glossa in cap. ult. h. t. breviter ait : « In confessis nullæ sunt partes iudicis in cognoscendo, sed in sentiendo sic : » quia nimirum debet ferre sententiam ex illa confessione, l. *Proinde.* juncta Glossa fin. ff. *Ad legem Aquil.* et c. *Præterea de Transact.*

77. *Confessio facta in iudicio regulariter revocari non potest.* — Quæritur III. An confessio facta in iudicio revocari possit? Resp. I. regulariter eam revocari non posse, nisi revocetur in continenti. Ratio est, quia confessus in jure habetur pro iudicato, per textum in l. un. c. *de Confessis*. Ubi proinde de quopiam, a propria tali confessione recedere volente, subjungitur : « Quare sine causa desideras recedi a confessione tua, cum et solvere cogaris? »

78. *Nisi revocetur in continenti.* — Additur notanter, « nisi revocetur in continenti. » Nam, ubi quis videt se errasse, potest in continenti se corrigere, suamque confessionem revocare, c. *Præterea. 7. de Testib. cogent. ac* notat Glossa in can. *Apud misericordem. 32. q. 2. §. Revertitur*, et communis. In quo quidem casu non est necesse probare errorem,

aut rem aliter se habere; sed sufficit simpliciter revocare, allegando errorem : sicut solet dici de teste, juxta cit. c. *Præterea*, ac notat Abbas in cap. ult. n. 21. h. t. Secus est, si ex intervallo primum revocetur confessio : quia tunc oportet probare errorem, vel saltem rem aliter se habere, juxta dicenda n. 80.

79. *Et quando dicatur revocari in continenti?* — Dicitur autem confessio revocari in continenti, si non interponatur suæ correctioni intervallum; uti loquitur textus in d. c. *Præterea de Testib. cogent.* Atque istud censetur vel maxime tunc fieri, quando revocatur, antequam confessio sit redacta in scriptis, juxta Glossam loc. cit. et aliam Glossam cap. ult. §. *Justa causa. de Jurejurand.* in 6. quam approbat Abbas in c. *Ex litteris. n. 40. de Divort.* concl. 369. n. 5. Vel saltem, quando facta confessio revocatur in eadem instantia, sive antequam quis recedat a præsentia iudicis; ut explicat Glossa in cit. c. *Præterea §. In continenti.* Aut certe hoc erit relinquendum arbitrio iudicis, qui inspecta conditione personæ, et quantitate intervalli, secundum qualitatem facti considerabit, an adhuc in continenti censeatur confessio revocata; adeoque non sit opus alia probatione erroris, juxta Glossam proxime allegatam, et Abbatem in cap. ult. n. 22. h. t.

80. *Potest etiam ex intervallo revocari confessio, quando probatur per errorem contigisse.* — Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus data conclusio, seu regula fallit, atque limitanda est. Primo siquidem potest etiam ex intervallo revocari confessio facta in iudicio, quando quis probare potest, per errorem facti se confessum fuisse, arg. cap. ult. juncta Glossa fin. h. t. et fuse tradit Abbas ibid. n. 20 et seqq. ac Barbosa n. 4. eod. asserens cum aliis, quod, confessio facta per errorem facti possit revocari, dum causa non fuerit finaliter terminata. Card. Tuschus lit. c. concl. 649. n. d. idem docens post Federicum de Senis consil. 98. n. 4. ac n. 20. subjungens, quod hoc ipso de errore doceatur, si probetur, rem aliter se habere, quam sit confessus, etiam in facto proprio, quando agitur de damno vitando. Concordat textus in l. *Non fatetur. ff. de Confessis*, ubi : « Non fatetur, qui errat, nisi jus ignoraverit. » Ubi Bartolus ad longum præsentem materiam examinat, et resolvit. Zoesius lit. *de Confessis.* ff. n. 12; Mascardus, concl. 378. n. 1 et seqq. citans alios.

81. *Minore nonne ex propria confessione gra-*

*viter læsi, et quandoque majorenes, restituantur in integrum.* — Deinde fallit data regula in minorennibus : nam hi propria confessione graviter læsi, ob debilitatem iudicii, restituantur in integrum, l. *Certum confessus. § In pupillo. ff. de Confessis.* Quin etiam in majorennibus ratione probabilis erroris, potest istud extraordinarium remedium restitutionis in integrum quandoque locum habere, ex clausula illa generali, « Si quæ mihi justa causa, » etc. etiam post rem iudicatam. Card. Tuschus, cit. concl. 649. n. 5; Alexander, concil. 80, num. 14. vol. II, istud probans ex l. *Cum fideicommissum*, juncta Glossa fin. ff. *de Confessis*; Bartolus in cit. l. *Non fatetur. § Aut habuit justam. ff. eod. et* alii; et concordant dicta lib. I. tit. XLII. *De in integrum restitutione. § 2. n. 22 et 49 ac* seqq.

## § IV.

DE CONFessione JUDICIALI PRÆLATI, PROCURATORIS, ET SOCI CRIMINIS IN PRÆJUDICIUM ECCLESIE, VEL TERTII.

82. *Confessio prælati administrationem non habentis, non præjudicat ecclesie.* — Quæritur I. Utrum confessio prælati, administrationem habentis, noceat ecclesie? Et notanter additur, « administrationem habentis » : nam quod confessio prælati, qui vel ab officio suo suspensus est, sicque administrationem non habet, vel saltem de rebus capituli divisa bona habentis confiteri præsumit, non noceat, neque probet in præjudicium ecclesie, vel capituli, est certum, atque extra controversiam. Ratio est, quia « non debet aliquis alterius odio prægravari, » juxta reg. 22 juris in 6. Sive ut l. *Non debet. ff. eod. legitur* : « Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. » Simulque « Delictum personæ, » puta improvida, vel malitiosa confessio prælati, « non debet in detrimentum Ecclesie redundare, » juxta reg. 76 juris in 6, cum concordantiis. Atque idcirco in Auth. *Quod obtinet. C. de Probat.* tunc demum statuitur confessioni, quando præjudicat tantum confitentis, et non alteri. Verum loquendo de prælato administrationem habente, quæstio remanet : ad quam

83. *Et quid, si confiteatur de rebus illis, in quibus est legitimus administrator? Confessio per viam contentiosæ jurisdictionis, et voluntariæ jurisdictionis, quæ?* — Resp. I. Quando

prælati de rebus illis, in quibus est legitimus administrator ecclesie, confitetur aliquid per viam contentiosæ jurisdictionis, probat ejus confessio in præjudicium ecclesie, sive successoris : secus, quando aliquid confitetur per viam voluntariæ jurisdictionis. Ita Abbas c. *Ex parte. n. 10. h. t.* ubi sub « Confessione per viam contentiosæ jurisdictionis » intelligit eam, quando prælati (vel procurator, tutor, etc.) vocatur ad iudicium, et ibi in responsionibus ex iudicis mandato factis, aliquid confitetur in præjudicium ecclesie, vel domini principalis, aut pupilli. Econtra vero sub « Confessione per viam voluntariæ jurisdictionis » intelligit illam, quam facit prælati, vel alius administrator, sua sponte, et non coacte, hoc est, absque alia necessitate ulro aliquid confitendo in præjudicium ecclesie, vel alterius. Eadem conclusionem sic declaratam tenet idem Abbas in cap. ult. n. 44. et Glossa fin. alique canonicæ ibid. *de Præscript.*; Card. Tuschus lit. C. concl. 669. n. 1 et 34 et seqq.; Noalus *de Transmissionibus*, casu 72. allegans Rotam decis. 573. n. 5. part. II recent.; Mascardus *de Probat.* concl. 367. n. 1 et 22, citans alios.

84. *Confessio prælati facta per viam contentiosæ jurisdictionis, probat contra Ecclesiam.* — Prior pars, seu quod confessio prælati facta in iudicio, sive per modum jurisdictionis contentiosæ absque conclusione et fraude, probet contra ecclesiam, desumitur ex c. *Præsentiam. 2. de Confessis.* in 6. et c. *Suborta. 21. de Sentent. et re judicat.* In quorum priori loco confessio abbatis, et prioris, in posteriori autem confessio procuratoris in iudicio facta probat sicque præjudicat ecclesie. Accedit, quod confessio procuratoris facta in iudicio per viam contentiosæ jurisdictionis, præjudicet domino, ut proxime num. 90 et 91, dicitur : idem ergo, et quidem a fortiori, dicendum de confessione prælati taliter facta.

85. *Ecclesia ex tali confessione graviter læsa, juvatur duplici remedio; et quali?* — Solum adde, quod si ecclesia ex confessione sui prælati, etiam in iudicio facta, graviter læsa fuisset, duplici remedio eidem subveniri, dictaque confessio revocari possit. Primo, per remedium ordinarium, seu a jure communi omnibus concessum; si nempe ecclesia, sive prælati ille, negotio nondum finito, docuerit confessionem illam per errorem facti emanasse : ut. c. *Ex parte. h. t.* et notat Ab-

bas ibid. n. 4. et Engel eod. n. 19. estque jam dictum supra num. 77, 78 et 80. Secundo, per remedium extraordinarium, seu per restitutionem in integrum: ut c. *Cum venissent*, ac seqq. *De in integrum restitut.* Atque istud remedium extraordinarium pinguius providet, quam ordinarium: quia in ordinario oportet probare errorem, et quidem ante finitum negotium: in extraordinario autem sufficit probare gravem læsionem, et datur totum quadriennium a tempore factæ læsionis, licet sententia jam faisset lata. Abbas cit. c. *Ex parte*. n. 4. b. t.; et concordant dicta superius lib. I. tit. XXI. *De in integrum restitut.* n. 6. et seqq. et num. 32.

86. *Confessio praelati per modum voluntariæ jurisdictionis, non præjudicat ecclesiæ, neque successori. Etiam si consisteret in facto proprio praelati, foretque sigillata sigillo ejus.* — Altera pars datæ conclusionis, probatur ex eo: quia confessio praelati per modum voluntariæ jurisdictionis facta in præjudicium ecclesiæ, est species alienationis, seu donatio quædam; tacite enim per talem confessionem remitteretur, seu donaretur alteri jus ecclesiæ: atqui alienatio de bonis ecclesiæ non valet, nisi fiat ex causa necessitatis, vel utilitatis, atque interveniente debita forma, et auctoritate superioris, cap. 1. et seqq. *de Rebus Eccles. non alienand.* sicut et rei alienæ administratores donare non possunt, l. *Contra juris*. § fin. ff. *de Pactis*; ergo. Accedit, quod in confessione voluntaria insit ambitio; et si ea semel liceret, aperiretur lata porta infinitis fraudibus, quibus praelati ad complendum aliis possent suis ecclesiis præjudicare: secus accidit in confessione necessaria, seu facta in judicio ad mandatum iudicis per modum jurisdictionis contentiosæ. Atque ex his patet manifesta disparitas inter priorem et posteriorem partem datæ num. 83 conclusionis.

Infertur proinde, quod confessio voluntaria praelati, si fiat sine necessitate consensuque capituli, seu aliorum quorum interest, non præjudicat ecclesiæ, neque successori ejus obliget: etiam si consisteret in facto proprio, quo praelatus ecclesiam cuiquam alteri, v. g. ratione certæ sibi ab ipso præstitæ pecuniæ, obligavit, simulque confessio illa foret sigillata sigillo ipsius praelati. Idque per jura, et rationes proxime allatas: et quia alioquin daretur aperta via fraudibus, in magnum præjudicium ecclesiarum. Card. Tuschus d. concl. 669. n. 1 et 8, citans alios.

87. *Limitatur istud, quando confessio illa facta est una cum capitulo.* — Resp. II. Patitur nihilominus data conclusio quoad alteram partem nonnullas limitationes. Primo, quando confessio praelati, v. g. de recepto mutuo, facta fuit una cum capitulo, vel de ejus assensu: quia tunc præjudicat ecclesiæ, atque obligat successorem. Glossa 1. *Dudum ecclesia*. § 4. *De veritate*. vers. *Sed non credo*. de *Election.*; Felinus cap. ult. n. 41. de *Præscription.*; Card. Tuschus, cit. lit. C. concl. 669. nu. 41. ad hoc requirens, quod exprimat causa obligatoria ecclesiæ; puta, quod pecunia fuerit mutuo accepta pro reparatione, vel aliis necessitatibus Ecclesiæ; citansque Calderinum consil. 153. circa med. et Castrensem consil. 338. n. 2. lib. I; Mascardus de *Probat.* concl. 367. n. 5 et 6. citans Rotam decis. 466. *Confessio praelati*. in novis, et plures alios.

Deinde confessio praelati probat in præjudicium ecclesiæ, si hæc, sive praelatus ille, non habeat capitulum. Abbas in c. *Dilectus*. n. 4. de *Capell. monach.*; Card. Tuschus cit. concl. 669. num. 40; Romanus. consil. 36, istud probans ex Clem. 1. de *Rebus Eccles. non alienand.* Mascardus loc. cit. n. 10 et 20. allegans alios, atque istud intelligens in causis non arduis; secus in arduis, juxta cit Clem. 1.

88. *Item si confessio tendat ad liberandum aliquem.* — Ulterius confessio praelati, quæ tendit ad liberandum aliquem, et consistit in facto proprio (puta, si is confiteatur debitum ab altero rite sibi persolutum fuisse) probat etiam sine consensu capituli: adeo, ut ex tali confessione liberetur debitor, et ecclesia nihil amplius ab eo exigere valeat. Mascardus de concl. 367. n. 7, post Castrensem consil. 43. n. 2, et alios.

89. *Afferuntur aliæ limitationes.* — Insuper, licet confessio praelati se sola non præjudicet ecclesiæ, nihilominus præjudicat ipsa, et nocet ecclesiæ, quando jus commune, sive præsumptio stat contra ecclesiam. Abbas in c. *Solliciti*. 17. num. 4. de *Præscript.* id probans per textum ibidem, juncto cap. n. de *Capell. monach.*, ubi talis casus refertur. Rursus, confessio praelati potest præjudicare ecclesiæ una cum aliis adminiculis; ut inquit Glossa in c. *Dudum ecclesia*. § 4. vers. *de Veritate*. de *Election.*; Mascardus d. concl. 367. n. 13. Nam quæ non prosunt singula, multa juvant, l. *Instrumenta*, juncta Glossa, vers. *Aliis quoque*. C. de *Probat.* Præjudicat quo-

que ecclesiæ confessio praelati, durante vita ipsius praelati. Card. Tuschus cit. litt. C. concl. 669. num. 40; Mascardus, ubi supra, n. 16. Item, confessio praelati præjudicat ecclesiæ, si is confiteatur ut procurator constitutus ab ipsa ecclesia, juxta proxime dicenda; et notat idem Mascardus num. 23. et Tuschus cit. num. 40, qui nonnullas alias limitationes adducunt, apud eosdem videntur; nam præmissæ sunt cæteris notabiliores.

90. *Confessio procuratoris præjudicat domino, nisi legitime revocetur.* — Queritur. II. Utrum confessio procuratoris præjudicet domino? Resp. I. Procuratoris confessio facta in judicio per viam contentiosæ jurisdictionis probat contra dominum, ipsique præjudicat, nisi legitime revocetur. Ita desumitur ex cap. 1. juncta Glossa §. *Non negavit*. de *Postul. praelat.* et c. *Suborta*. 21. de *Sentent. et rejudicat.* et c. *Dilectus*. de *Capellis monach.* et notat Abbas in c. *Ex parte*. n. 3 et 10. h. t. id ipsum docens de confessione æconomi respectu Ecclesiæ, et tutoris vel curatoris respectu pupilli, vel minoris: Mascardus concl. 369. de *Probat.* num. 1 et seqq., citans Rotam, decis. 374. in antiq., et alios; et concordant dicta superius lib. I. tit. XXXVIII. de *Procuratoribus*. § 5. num. 119 et 125.

91. *Dummodo sit facta per viam contentiosæ jurisdictionis, et non omnino sponte.* — Additur notanter, « confessio facta per viam contentiosæ jurisdictionis »: hoc est, si quis vocatus fuerit in judicium et ibi juridice interrogatus quidpiam respondendo confiteatur in præjudicium sui principalis. Nam si procurator sponte, et absque ulla necessitate, ultro fateatur aliquid in præjudicium domini, talis confessio non præjudicat: quia censetur potius esse donatio, seu ultranea renuntiatio juris; qualis non tenet, si per procuratorem fiat absque speciali mandato domini, l. *Contra juris*. ff. *de Pactis*, et docet Abbas d. num. 40. Atque in hoc sensu procedit textus in l. *Certum*. § *Sed an*. ff. *de Confessis*; ubi Ulpianus inquit: « Sed an et ipsos procuratores, vel tutores, vel curatores fateri sufficiat, videamus. Et non puto sufficere »: nempe, ut præjudicent domino, quando sic ultro confitentur; prout esse communem intellectum testatur Abbas cit. num. 40.

92. *Solvitur instantia. ex l. Si defensor, ff. de Interrogat. action.* — Objicies contra datam conclusionem: In l. *Si defensor*, ff. *de Interrogat. action.* dicitur: « Si defensor in judi-

cio interrogatus... falso responderit, ipse quidem defensor adversario tenebitur; ipsi autem, quem defendit, nullum facit præjudicium; » ergo confessio procuratoris domino suo non præjudicat. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat ibidem Glossa in casu, et vers. *Præjudicium*, ibi sermo est de defensore, qui sine mandato alium defendit. Alioquin autem, quod error advocati noceat suo clientulo præsentis, nec contradicenti ex continenti (saltem intra triduum) neque post sententiam appellanti, patet ex l. I. et l. ult. C. *de Errore advocat.*

93. *Confessio judicialis per procuratorem facta, potest revocari.* — Resp. II. Potest nihilominus ejusmodi confessio judicialis per procuratorem, vel æconomum ecclesiæ facta, revocari; idque vel in continenti, in quo casu non est opus alia probatione erroris; vel ex intervallo, qua ratione potest revocari confessio quovis tempore ante sententiam latam, dummodo probetur eam per errorem facti contigisse, atque inde ecclesiæ, vel domino principali præjudicium generari. Ita Mascardus cit. concl. 369. n. 2 et seqq., citans alios, et allegans multiplicem decisionem Rotæ, quæ censuit talem revocationem fieri posse non tantum per dominum principalem, sed etiam per ipsummet procuratorem. Conclusio hæc sequitur ex dictis n. 78 et 80. Nam si in continenti, aut probato errore facti, potest revocari confessio propria; multo magis istud erit concedendum de confessione alterius, puta procuratoris, in suum præjudicium emanata. Id ipsum, loquendo de confessione in præjudicium ecclesiæ per æconomum facta, expresse statuitur in c. *Ex parte*. h. t., addita illa ratione: « Cum negotio nondum finito, nemini noceat error facti. »

94. *Nec opus est alia probatione erroris quando revocatur in continenti; alias secus.* — Concordat textus in l. *Error facti*. c. *de Juris et facti ignorant.* ubi similiter dicitur, « quod error facti necdum finito negotio, nemini noceat. » Et hoc esse intelligendum quando qui ex intervallo confessionem revocans, probat se aut suum procuratorem in facto errasse, desumitur ex cit. c. *Ex parte*. h. t., ibi: « Si de hujusmodi potuerit errore docere. » Porro, quod juxta alteram partem datæ conclusionis, nulla opus sit probatione erroris, si confessio per ipsum procuratorem, vel per ejus dominum principalem in continenti revocetur: patet ex c. *Cum causam*. 62. de